I. N. SS. T.

# DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

Ægrum

# PLEURITIDE

laborantem exhibens,

*Qvam*

CONSENSU & AUCTORITATE

*GRATIOSISSIMÆ*

FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA NORICORUM UNIVERSITATE

ALTDORFFINA

pro

# LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores

Immunitates atq; Privilegia Doctoralia

ritè adipiſcendi,

*Publico Eruditorum Examini*

*ſubjiciet*

JOH. PHILIPPUS HILCHEN

Macro-Schwalbacenſis,

*Ad diem* XVIII. *Decembr.* Anno M. DC. XCIII.

horis locoq; conſvetis.

*ALTDORFFI*

Literis HENRICI MEYERI,

Acad. Typogr.

28

# DEO,

# FRATRIBUS

atq;

# AMICIS

Sacrum eſto!

# PRÆLOQVIUM.

Nihil dici hodie poſſe, quod non prius jam dictum ſit, *commune quidem dicterium eſſe ſcio, ſed veritati, quantum arbitror, non usq; adeo conſentaneum: Quis enim Morborum, ut alia quæque ſicco nunc pede præteream, homines in hac Mundi ſenectâ, variis quotidiè, noviſq; modis infeſtantium vel naturam, vel curam vel nomina è Majoribus illis noſtris adſpexit? adſpecta detexit, detecta invexit, invecta ad nos ritè provexit? Sanè fœcundiſſimam eorum parentem, præter militiam, navigationem, ingluviem, crapulam, luxuriam ſimileſq; cauſas, Vitia eſſe, quibus pro lubitu indulgemus, haudquaquam credo quispiam inficias ibit: Iſta nempè ſunt, quæ corpus noſtrum, poſt exſaturatam iisdem pauliſper cupiditatem, affligunt, lancinant, contaminant, inquinant, pungunt, angunt, & omni dolorum genere afficiunt: Iſta ſunt, quæ neque pedi benè cum ventre, neq; ventri cum capite, neq; lateri neq; reliquis membris benè inter ſe eſſe ſinunt: Iſta ſunt, quæ, juxta Euripidem, ingentem pandunt theſaurum*

*ac penu malorum. Ex tanta igitur & tam diverſa ægritudinum multitudine, ut rariorem aliquam, & nulla adhuc Diſputatione comprehenſam, tum ſtudiis, quibus hactenus in una alterave Academia, non ſine maximè celebrandâ Dei ope, operam navavi conventuram, tum votis, quibus huc usq; me lactavi, reſponſuram arbitrabar, ita quò minus propoſiti compos fieri potuerim, inopinum pariter ac luctuoſum de beato Matris meæ obitu acceptum nuncium cogitationibus meis circa novum aliquod thema elaborandum occupatis obicem poſuit. Quamobrem paucos, quos adhuc dies in hâc Academia exigere mihi conceſſum erat, conſulere, & poſt conſveta feliciter haud ita pridem exantlata Examina, quod primò ſtatim ſe offerebat intuitu, Argumentum Diſputationis Inauguralis loco asſumere coactus ſum; Illud autem cum affectus mihi ſuggeſſerit gravis, Pleuritis dictus, Ægrum eodem laborantem eò brevioribus lineis deſcribere mecum conſtitui, quò plures calamos circa idem illud malum delineandum jam antea occupatos fuiſſe conſtat. Lectorem interea humanæ ſortis memorem mihi faventem, æquè ac feſtinanter in lucem protruſas Theſes ſequentes benè interpretantem, non tam dubiè expeto, quam ſeriò promitto. Adſit autem conatui meo Archiater Supremus DEUS Ter Optimus Maximus, ut cedat in Sui gloriam, proximi ſalutem, & Momi detrimentum.*

# *HISTORIA.*

JUvenis XXII. annorum, temperamenti cholerico-ſangvinei, vix ex itinere hyemali tempore ſuſcepto redux factus, cùm altero inſequente die in ſphæriſterio pilæ luſu admodum incaluiſſet, & ſitim inde contraxiſſet, pro hâc demulcenda hauſtum vini generoſi frigidi avidiſſimè ingurgitavit, poſt elapſum trihorium ad cœnam vocatus parum cibi ſumſit, ſed nihilominus ejusdem vini potui indulſit, tandem in lectum ſeſe contulit: Circà noctis meridiem poſt ſomnum turbatum evigilans, nauſeam cum horrore percepit, dein contenta ventriculi evomuit, paulo poſt perſenſit inſignem dolorem in thoracis latere dextro, qui ex decubitu in latus ſiniſtrum oppoſitum fuit auctus & viſus ad jugulum usque aſcendere, calor inſimul incrementum ſumſit febrilis cum ſiti, atque inſigni ſpirandi difficultate, acceſſit tuſſis dolorem exaſperans, & illa quidem ſicca, ita ut rarò aliquid ſputi ſubcru enti rejicere potuerit. Metuens ergò ſibi de triſti eventu præcipuè, quod patrem ſimili malorum genere ex vivorum numero ereptum noſſet, curavit Medicum manè advocari, qui auxilio conſilioq; ſibi præſto eſſet.

# RESOLUTIO.

AFfectum, quo Juvenis noſter laborat, *pleuritidem* eſſe cenſeo; cui nomen à parte affectâ, membranâ ſcil. coſtas ſuccingente, quæ communiter *pleura* dicitur, impoſitum eſt, & definiri à plerisq; ſolet: *Quod ſit inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis eryſipelacea, cùm febre acuta, dolore lateris punctorio, reſpiratione difficili, tuſſi moleſta & ſputo, non rarò cruento, à ſtagnatione & evaſatione humorum originem ducens.* Inflammationem autem ego quoq; ſtatuo eryſipelaceam, doctrinam ſecutus *Viri Prænobiliſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi atq; Experientiſſimi* DN. MAURICII HOFFMANNI, *Med. Doctoris & in hac Noricorum Univerſitate Profeſſ. primar. celeberrimi, Potentiſſimi Elector. Brandenburg. & Sereniſſ. Marchion. Brandenburg. Ducumq; Würtenberg. ac Reipubl. Noriberg. Archiatri, Patroni ac Præceptoris Venerandi*, qui in *Prudentiæ Med. diſput. IX. corall. 2.* Inflammationes partium internarum eryſipelaceas nominat.

Adeſſe verò hunc affectum confirmant & patefaciunt abundè *ſigna* in Hiſtoria recenſita.

I. *Eſſentialiter inhærentia*, ſeu *pathognomonica*, dolor ſcil. lateris dextri inſignis pungitivus mox ad jugulum usq; aſcendere viſus, reſpirandi difficultas, tuſſis ſicca, dehinc inſecuta ſputi ſubcruenti, licet rarior, rejectio.

II. *Eſſentialiter conſequentia*, ſeu ſymptomata varii generis: Et quidem, quoad actiones vitales læſas, horror comesq; accedens dein calor febrilis, quoad animales, ſomnus turbatus, decubitus in latus oppoſitum ſiniſtrum moleſtus, quoad naturales, nauſea & inſecutus dein vomitus, ſitis &c.

III. Lucem his addunt majorem *Cauſæ prægreſſæ* de morbi indole nos certiores reddentes, nimirum tempe-

ramentum cholerico-ſanguineum, iter hyemali tempore ſuſceptum, vini generoſi potus, poſt pilæ luſum in ſphæriſterio &c. quæ tamen cauſæ infra uberius erunt deducendæ.

IV. Neque *Similitudo* abludit, quotiescunque enim dolor in latere thoracis inſignis, cùm difficili reſpiratione & tuſſi obſervatur; toties etiam pleuritidem adeſſe Medici practici uno quaſi loquuntur ore.

Cognitis hucusq; pleuritidis ſignis tam eſſentialiter inhærentibus, quam conſequentibus, ut receptâ Methodo ad *ſubjecti* ſed *partis affectæ* evolutionem nos accingamus, ordo jubet. Eſt autem *illud duplex* vel *principale* vel *minus principale.*

*Subjectum* igitur *principale* eſt *Pleura* ſive Membrana coſtas ſuccingens, uti accuratè docet *Vir Prænobiliſſimus, Ampliſſimus, Excellentiſſimus atq; Experientiſſimus* DN. JACOBUS PANCRATIUS BRUNO, *Phil. & Med. Doctor, hujusq; in hac Univerſitate Profeſſ. Publ. longè Celeberrimus, Patronus & Præceptor jugi obſervantia colendus in Lex. Caſtell. renov. p. 707.* quæ eſt membrana internam thoracis partem ſuccingens, dura & alba, peritonæo infimi ventris quodammodo craſſior, ortum trahens à tunicis nervos intercoſtales ex ſpina dorſi egredientes tegentibus; craſſior eſt in dorſo, & vertebris valdè adhæret; Ubiq; duplex eſt, cujus exterior pars thoracem reſpiciens durior exiſtit, internâ coſtis alligatâ. Venas habet à vena ſine pari & intercoſtali ſuperiore, arterias ab aorta & intercoſtali, nervos duodecim è vertebris thoracis anterius prodeuntes, ut non mirum ſit, adeò exquiſito eam pollere ſenſu. Jam verò quòd in pleuritide hæc membrana ſubjectum præbeat inflammationis præſentis, confirmant obſervationes Anatomicæ in cadaveribus ex morbo dicto defunctis habitæ, teſte *Thom. Williſio pharm. rational. part. 2. ſect. 1. cap. 9. de pleuritide pag. 102.*

*pag.102. & Theophil. Bonetto in Anatom. pract. l. 2. ſect. IV. obſ. 14. 15. pag. 498. 499. & ſeqq.*

Sunt equidem, qui *Pulmones* pro primario ac magis principali; pleuram verò pro ſecundario, ſeu minus principali agnoſcunt ſubjecto, Rationes proferentes ſequentes: I. Quod tuſſis in pleuritide non à pleura, ſed à pulmonibus concitetur. II. Copioſa ſputi excretio & ſubita ſanguinis exſcreatio pulmonum oppidò affectorum ſint indicia. III. Probare conantur aſſertum ſuum per αὐτοψίαν ac experientiam, quòd ſcilicet ſæpius contingat reperiri ſub Anatome pulmones gravius affectos, quam pleuram in pleuriticis, ideoq; *Joh. Zecchius in Conſultationibus Medicinalibus conſil. 26.* referat, multos pro pleuriticis habitos in Anatome pulmones exhibuiſſe fœdatos & dilaceratos.

Aſt Experientiâ crebriori quamvis non propria, aliena tamen edoctus, in pleuritide pleuram nonnunquam ſolam, nonnunquam cum eâ pulmones ſimul inflammari ſcio: Atque hinc ad diſſentientium rationes allatas reſpondeo. I. Falſum eſſe, tuſſim in pleuritide non propter pleuram, ſed quod pulmones eſſentialiter ac primariò affecti ſint, excitari. Rectè ſiquidem *Avicenna* Arabum princeps, cur in pleuritide adſit tuſſis? hanc dedit rationem, quod lædantur pulmones ex vicinia: Et *Galenus*, quod pleuritici tuſſiant, ait fieri, quia id, quod defluit ex membrana, pulmonibus communicatur, qui ſubindè, ut ſeſe materiâ eâque extranea exonerent, ad tuſſim commoveantur. Hinc *Sennertus Prax. Medic. lib. 2. part. 2. cap. 16.* accuratè etiam docuit, non quidem in omni pleuritide neceſſario pulmonem affici, ſemper tamen ferè hoc accidere, ubi ſuperior pleuræ pars afficiatur, eſſe enim pleuræ cum membranâ pulmonis communionem, & præcipuè verſus collum & circa exortum aſperæ arteriæ per fibras

multas

multas cum pleura pulmones cohærere. Neque II. copioſa ſputi excretio pulmones ſubjectum primarium facit, ſcilicet ubi ea obſervatur, non quidem eſt dubium, quin pulmones coafficiantur, verùm non ſequitur, affectos illos eſſe, ut principale pleuritidis ſubjectum; Etenim non tàm pleuritidis, quàm ſputi pleuritici ſunt ſubjectum. Neque porrò ſubita ſanguinis excreatio quidquam probat, ſi nempè ſanguinem tranſudare membranas poſſe attendamus; id quod ex *Galeni l. 5. de loc. affect.* & *Fernel. l. 5. de part. morb. & ſymptom.* ſatis conſtat. Legi quoq; de his poteſt *Rolfinckius in Diſſert. Anatom.* & *Mœbius in Inſtit. Medic.* Ad III. reponimus, quamvis in pleuriticis pulmones cum pleura ſæpius ſint affecti, nihilominus tamen ſæpiſſimè ſolam pleuram inflammatam plurimos accuratos Anatomicos obſervaſſe. Præterea hoc etiam attendi debet, nunquam pleuriticum vitâ adhuc fruentem, ſed tunc demum, quando ex pleuritide graviori ac lethali obiit, cultro Anatomico ſubjici, ut propterea à pleurâ primariò affectâ materia purulenta, cum inflammatione nimium auctâ, alias thoracis partes & cumprimis pulmones demum invadere potuerit. Abſit tamen ut exinde quis concludat, pulmones ſemper & in omni legitimâ & verâ pleuritide adeò graviter affici, ut ſubjectum hujus ipſius primarium dici mereantur. Nulla quippe eſt conſequentia. Pulmones ſæpe graviter afficiuntur, ergò primarium ſunt ſubjectum: Perſtamus quin potius in noſtra hypotheſi, ſaltem minus principale ſubjectum pleuritidis pulmones eſſe, cùm teſte *Barbette lib. 3. prax. c. 1 p. m. 69* hi plerumq; etiam aliquid patiantur. Nec verò *pulmones* ſolos, ſed etiam *mediaſtinum*, *pericardium*, *diaphragma*, ac *muſculos meſopleurios* pro ſubjecto ſecundario ac minus principali agnoſcimus, vix enim poſſibile eſt, ut inflammatio membranæ ſuccingentis ipſos contiguos

muſcu-

muſculos non corripiat, ceu recte addidit *Fr. Decker. in not. ad allegatam praxin.*

Cognito ſic affectus hujus ſubjecto, ac perſpectâ ipſius ſede genuina, proximum eſt, ut jam ad enucleandas *cauſas* progrediamur, is enim ſcire haud poteſt, quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint ignorat. Inquiremus igitur in *cauſas morbificas* triplices:

*Cauſam* nempe *immediatam* ſive *proximam*, *Antecedentem*, & *Remotas*.

Et primò quidem *Cauſam Immediatam* & *proximam* oſtendimus *ſanguinem ſulphureo-ſalinum acriorem, præternaturali impulſu & orgaſmo in pleuræ vaſa minora ac interſtitia effuſum, ſubſiſtentem, nec liberè refluentem, ſed in coagulum verſum, ob admixtas lymphæ chyloſæ viſcidæ particulas*, quales utplurimum in ſanguine pleuriticorum Venæſectione educto mucaginem grumo incumbentem copioſam exhibere, ex obſervatione *Viri Prænobiliſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi atq; Experientiſſimi* DN. JOH. MAURICII HOFFMANNI, *Phil. & Med. Doctoris, Chem. atq; Anatom. Prof. Publ. longè celeberrimi, Facultatis Medicæ h. t. Decani Spectatiſſimi, Academiæq; Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum Adjuncti, Dn. Præceptoris, Promotoris atq; Patroni ætatem colendi*, novi.

II. *Cauſam Antecedentem* deprehendimus easdem eſſe *particulas* ſanguineæ maſſæ *ſulphureo-ſalinas acriores*, & *lymphæ chyloſæ viſcidas*, confuſas ad pleuram tendentes, & quidem per arterias vertebrales ab impetu contenti ſanguinis quoad extrema capillaria ultra modum dilatatas, apertas, & fortean quoq; ruptas. Unde ſanguis cum lympha ſocia dein inter pleuræ poros & interſtitiola extravaſatus ſubſiſtit, præternaturaliter effervescit, inflammationemq; parit, quam ob factam in fibrillis membranaceonerveis ſimul *continui ſolutionem dolor* adeò acutus & exquiſitus comitatur.

III. *Cau-*

III. *Cauſas* inſuper *Remotiores* ſive *Procatarcticas* morbificum ad præſentem affectum quam maximè contuliſſe ſymbolum palam eſt: Haſce vero in *Naturales*, *Nonnaturales* & *Præternaturales* clarioris doctrinæ gratia diſpeſcere lubet.

Ex *Naturalibus* I. ſe ſiſtit *Temperamentum cholerico-ſanguineum*, quod præ cæteris ad hoc malum proclive habetur.

II. *Ætas Juvenilis* teſte *Hippocr. ſect. 3. aphoriſm. 30.* ubi dicit: *Hi verò qui hanc ætatem* (intellige adoleſcentiam) *ſuperarunt, corripiuntur morbis lateralibus, pulmonum inflammationibus &c.* tales enim plerumque calore magno ſunt præditi tùm ob temperamentum, tùm ob actiones, quas edunt, majores.

III. *Diſpoſitio hæreditaria*, pleuræ & partium vicinarum laxitati aut vitioſæ pororum conformationi adſcribenda, ita, ut ob priorem fluxiones præternaturales fluidorum catholicorum promtiùs excipiat, aut ob poſteriorem eorundem commeatum faciliùs intercipiat.

Ex *non-naturalibus Aër* primam duxit choream *frigidus*, tempore hyemali ſub itinere non ſolùm ſuſceptus, ſed & procul dubio poſt incaleſcentiam corporis in ſphæriſterio admiſſus, hîc ſanè ſumme noxius, eò quòd conſtipando poros cutaneos ab extra interiùs calorem adauxerit, & tranſpirationem impediverit, tum ſanguinem ad ſtagnationem & coagulationem invitaverit, pectori aliàs jamdum inimicus.

*Motus vehementior* huc etiam multum fecit, quatenus ſanguinis motum æquabilem & blandum turbavit, atq; eundem majori cum impetu & celerius per arterias ad pleuram protruſit, quàm ut à venis ſtatim recipi & reduci potuerit, eapropter extra vaſa erupit, & ſtagnare ac coagulari cœpit. Nec culpa caruit æſtuante adhuc ex

pilæ luſu corpore ingurgitatus *hauſtus vini generoſi*, & repentinâ mutatione corpori, & coagulatione ſanguini inductâ; hinc *Hippocr. 1. de morbis* jamdum rectè cenſuit: *Pleuritides fieri, cum potiones fortes & copioſæ fiunt.*

Ex *Præternaturalibus*, cùm illarum in hiſtoria nulla fiat mentio, nullam etiam accuſare poſſumus.

Datâ hujus affectus origine cauſisq; explicatis, nnnc quoque *ſymptomatum* exinde productorum rationes inquirere oportet:

1. Æger noſter *nauſeam vomitumq;* perpeſſus eſt, à bile volatili acri ſub motu corporis prægreſſo in inteſtinum duodenum & inde per pylorum in ventriculum effusâ, hujusq; fibras motrices & nerveas ad motus periſtaltici inverſionem irritante. Senſit verò inſimul 2. *horrorem*, quòd ſulphureo ſalinæ - acriores degeneres illæ maſſæ ſanguineæ particulæ, ab errore multiplici commiſſo, auctæ atque per motum corporis hinc inde agitatæ, tandem per ambitum corporis divagari cœperint, ſicq; membranæ adipoſo-carnoſæ contractionem ſpaſmodicam effecerint: atq; quia fibræ membranaceo-nerveæ pleuræ ſimilem contractionem affectaverant, ſanguis eò magis ibi commorari, & eo loco quo commorabatur, inflammationem moliri debuit, quæ ibidem veluti in membranâ ſenſu exquiſitiſſimo prædita non potuit non inſignem 3. *Dolorem* eumq; indeſinentem gignere, propter continui ſolutionem conſtanter affligentem. Nec verò mirum, illum dolorem in latere thoracis dextro moleſtum ex decubitu in ſiniſtrum oppoſitum auctum fuiſſe, quia revoluto corpore ſanguis extravaſatus in pendulo conſtitutus afflictam pleuram pondere ſuo magis preſſit, ac inſimul fibrillarum ſenſilium majorem divulſionem induxit.

4. Excepit rigorem ſupra dictum *calor febrilis*, tùm quòd Cor parti affectæ valdè fuerit vicinum, tùm quod in

eo

eo febrile ſanguinis incendium ſubminiſtrato novo ſemper fomite augmentum habuerit, tùm & præcipuè quòd ſanguinis motu locali intercepto inteſtinus intenſior redditus, & particulæ ex ſtagnatione acriores factæ effervescentiam p. n. pepererint.

5. Acceſſit *Difficultas ſpirandi*, quia ob repletionem, inflammationem, & dolorem pleuræ, thorax ritè dilatari & attolli non potuit, reluctante nimirum membrana pleuræ, & cùm exquiſiti ſit ſenſus, omnem motum extenſivum ampliorem, ſolutionem continui minitantem, metuente.

6. Moleſta dein ſupervenit *tuſſis*, ob fibrarum pleuræ & pulmonum aliarumq; vicinarum reſpiratiori dicatarum motricium vellicationem irritativam ab extravaſato ſanguine & ejusdem effluviis acrioribus factam, citra tamen copioſam facilemq́; ſputi rejectionem, eò quod materia morbifica adhuc tenaciter implicita hæſerit; parum enim tuſſi excretum *ſubcruentum*, & per conſequens nondum concoctum fuit.

7. *Sitis* tandem calorem præternaturalem non potuit non inſequi, tunicâ faucium orisq; aridiori exiſtente.

Atq; hæc hucusq́; enarrata & declarata ſymptomata, *Diagnoſtica* pleuritidis quia præbuerunt *ſigna*, ordine progrediemur nunc ad *Prognoſtica*:

Reſpiciunt autem illa I. *Eventum morbi*, ex ſymptomatum remiſſione aut vehementia colligendum. Cùm itaq́; dolor ſit acutus, tuſſis magna, inque ea nihil excernatur, pleuriticorum verò ſalus, teſte *Hippocrate Sect. I. aph. 12* eò longiùs abſit, quò ſputum tardiùs apparuerit, ſpirandi etiam difficultas inſignis, pleuræq; hæreditaria diſpoſitio (dum pater eodem malo è vivorum numero ereptus memoratur,) concurrant, non immerito affectum præſentem gravem & periculoſum pronunciamus.

II. *Morbi tempus*, quod quidem breve ſperare licebit, quia pleuritis eſt morbus acutus, nec niſi ἐκ μεταπτώσεως protrahi ſolet. III. *Modum Eventus*, quem ex *Hippocr. lib. I. de Morbis 15.* aut per putredinem, & expectorationem, aut per ſuppurationem, aut per corruptionem & ſuffocationem futurum, præſagire poterimus.

Cognitis nunc omnibus tàm ad locum affectum quàm ad cauſas & naturam hujus mali ſpectantibus ad ipſam *Curationem* tantopere deſideratam, proximum eſt, ut nos conferamus, in quâ præſtanda juxta *Methodum Medendi Indicationum Triadem* ſequemur: quas inter

I. *Curatoria* morbum ipſum, inflammationem puta, & cauſam ejusdem proximam, humores nimirum peccantes, reſpicit.

II. *Præſervatoria*, circa cauſas maxime remotiores eliminandas, ne vel in actum deducantur, vel morbum pabulo quaſi foveant, occupata eſt.

III. *Vitalis* ſymptomata urgentiſſima, ne filum vitæ abrumpant, ſollicitè attendit, & Virium reliquias conſervat.

Satisfiet hisce *ex triplici Remediorum Fonte* depromendis *auxiliis*: Et quidem primo omnium ex *Chirurgico* præſto eſt *Venæſectio*, quæ palmam omnibus reliquis præſidiis chirurgicis præripit, quatenus ſanguinem ſenſibiliter & repente evacuat; circa hanc autem magna Authorum occurrit controverſia, dum multi ex antiquioribus Medicis reperiuntur, qui eam ſemper, quovis tempore, & nullâ adhibita ſubjectorum ratione, commendant, inter quos *Riverium Prax. Med. l. 7. c. 2.* nominaſſe ſufficiat. Alii in contrarium penitus rejiciunt, & tanquam rem maledictam & nullius pretii damnant, uti *Scaliger comm. in lib. de Inſomn. Rulandus in Centuriis & Helmontius in Tr. pleura Furens §. 2. & 9.* Nec minor fermè lis inter ipſos Venæ-

ſectio-

ſectionis patronos de loco V. S. hîc eligendo, qua de re integram diſſertationem conſcripſit *Deuſingius &c.* Sed quicquid alii ſtatuant, nos intrepidè in hoc caſu V. S. maximè adminiſtrandam eſſe arbitramur, muniti authoritate *Hippocratis libro de victu acut. t. 12.* ἢν πρὸς τὴν κληΐδα σημαίνῃ ἡ ὀδύνη, ſi ad claviculam pertingat dolor, venam ſecare jubentis, & *l. 1. de morbis t. 25.* in pleuritide quæ ſine ſputo eſt, & Græcè ἄπτυστος πλευρῖτις dicitur, eandem approbantis. Et quidem cum ſuprà laudato *Excellentiſſimo* DNO. D. BRUNONE Venæſectionem in vicino lateri affecto brachio ſuademus, quia æger citius ſic levamen ſentiet per derivationem materiæ peccantis è parte affecta.

*Fontem Chirurgicum* excipit *Pharmaceuticus*, in quo conſuetâ methodo primò ſe offerunt *Lenientia*, quæ alvum blandè movent, ſeu apertam ſervant, & bilem moderatè educunt, talia ſunt *Elect. lenitiv. Manna Calabrina, Pulpa Tamarind. Caſſ. rec. extract. Sir. roſar. ſolut. de ambubeja. de cichor. c. rhab. &c.*

*Formulas* adjungere placet ſequentes.

℞. *Elect. lenitiv.* ℥ß.
*pulp. Tamarind.* ʒij.
*Sir. roſ. ſolut. q. ſ. M.*
f. l. a. bolus.
S. Laxier-Zucker auf einmal.

℞. *Rad. liquirit.*
*cichor.* ā. ℥ß.
*pulp. Tamarind.*
*fol. Senn. ſ. ſ.* ā. ʒij.
*Rhab. el.* ʒj.
*crem.* ♀. ℈ij. *coq. in ſ. q.*
▽. *comm. col. rec.* ℥vj.
*adde Sir. roſ. ſolut.* ℥j. *M.*
f. potio D. in fictili.
S. Laxier-Tränckl ein auf zweymal.

*Vomi-*

*Vomitoria* autem & *Purgantia* præſertim *fortiora* nullatenus commendamus, quia illa excitato vomituriendi laborioſo conatu per thoracis concuſſionem, inflammationem & dolorem partis affectæ, hæc vero per fermentationem colliquativam, æſtum febrilem ſanguinis adauctura eſſent, cum notabili ſubſecuturo utrobique virium detrimento.

Sequuntur jam *Diaphoretica*, quæ omnem ferè in curatione abſolvunt paginam; hæc prima, hæc ultima ſunt pleuritidis remedia. Sunt autem vel volatilia, vel fixa, vel media, ſuademus autem volatilia penetrantiora & activa ab initio.

Hanc in rem dari poſſunt *Tinct. bezoard. ſpir. C. C. ſal volat. ejusdem ſpir. ebor. theriacalis. Mixt. Simpl. &c.*

℞ *TR. bezoard. Mich.* ʒij.
*Mixt. ſimpl.* ʒj. M. d. in vitro.
S. Zertheilende oder Schweiß-austreibende Mixtur, davon 25. Tropfen zu nehmen.

℞. *TR. bezoard. Wedel.* ʒj.
*Mixt. ſimpl.* ʒß.
☊ *C. C.* ℈ß. M. dr. in vitro.
S. ut ſuprà.

His ſubjungenda ſunt *alterantia*, humores ſubſiſtentes & coagulatos *reſolventia*, ut *antimon. diaph. bez. mineral. C. C. ſine igne præpar. pulv. bezoard. varii lap. ♋. dent. apr. præpar. mandibul. lucii piſc. ſperm. ceti &c.* Exempl. gr.

℞. *Dent. apr.*
*Lap. ♋. præp.*
♁. *diaph.*
*Mandib. lucii piſc.*
*Cinnab. nativ.* ā. ℈j. *M.*
Divid. in 4. part. æq.
Dr. ad diſtinct. chart. un. extim. incluſ.
S. Zertheilendes Pulver/ davon ein Theil zu nehmen.

℞. ▽.

℞. ▽. *acac.* ℥ij.
*card. bened.*
*ſambuc.*
*lactuc.*
*chærefol.* ā. ℥j.
*Elix. pectoral.* ʒj.
*Magiſt. lap.* ♋.
*dent. apri. præp.* ā. ℈j.
*Sir. papav. rhœad. parum. M.*

S. Zertheilende Mixtur wohl umzurütteln.
Doſ. 1. vel 2. cochl.

Nec dubitamus his ipſis accenſere *opiata*, quæ quidem ab initio parcius, ſuccedente verò tempore præſertim circa declinationem magis maritentur ſpecificis.

*Diuretica* in pleuritide non minimam præſtant opem, dum natura quandoq; ad vias urinarias deponit materiam.

Nec omittenda ſunt *Reſolventia*, quæ *expectorationem* quam maximè promovent, fluxilem reddunt materiam, & ad πτυσμὸν deducunt. E. gr.

℞. *Rad. alth.* ℥ß.
*Herb. chærefol.* Mj.
☿*ial.*
*parietar.* ā. Mß.
*flor. chamem. R.* Mij.
*ſem. lini conquaſſ.* ℥ß.
*fœnugr.*
*carv.* ā. ʒiij.
⊖. *comm.*
*furfur. tritic.* ā. piij. Inciſ. & cont. M.

F. *Sacculi* duo interpaſſati calidè ex lacte applicandi lateri dolenti, poſt inunctionem olei paregorici polychreſt. alternatim factam. Certò namq; conſtat calorem in omnibus doloribus extrinſecus adminiſtratum commodum eſſe paregoricum, pori enim demulcentur, reſerantur, materia digeritur, & ad excretionem diſponitur.

C Un-

Unguentum autem tale eſſe poterit:

℞. ○○. *hyoſc.* ʒiß.
*carv.*
*aneth.*
*aniſ.*
*chamem. deſtill.* ā. gt. vj. M.

quo latus effectum calidè inungendum, hinc ſacculus ſuper imponendus, idq́; per vices repetendum, ſic dolor non ſolum lenietur, ſed expectoratio etiam promovebitur.

Supereſt ut ſubnectamus *Diætam*, quæ in ſex rerum non naturalium uſu conſiſtit. Eapropter *Aër* ſit temperatus ad caliditatem paulò inclinans; *Cibus* levis atq́; tenuis, cùm morbus ex acutorum numero ſit, docet enim *Hippocrat. ſect. I. aph. 7. cum morbus eſt acutus, tenui victus ratione eſt utendum*, proderunt igitur *juſcula hordeacea avenacea &c.* vitentur cibi omnes acres ſalſi, fumo indurati, quia ſanguinem acriorem reddunt. *Potus* ſit ▽. *hord* in qua cocta ſint *ſem. aniſ. fœnicul. paſſul. min. rad. ſcorzon. liquirit. raſur. ebor. &c.* Corporis *exercitia* magna vitentur, ſanguinem enim faciunt fervidiorem. *Alvus*, ſi ſit adſtricta, *Clyſteribus* laxetur. Ab animi *Pathematibus* præſertim iracundia vel mœrore ſibi temperet æger, imploratâ autem Divini Numinis benedictione pro feliciori Medicamentorum uſu, hæc ipſa alacri accipiat animo, ſpemq́; de futurâ reconvaleſcentiâ concipiat optimam.

Ego verò calami mei curſum figo, annnexâ debitâ Divinæ benignitati gratiarum actione, & ulteriori voto addito, ut mea impoſterum cœpta miſericordi nutu ſecundet, quò non niſi in proximi ſalutem, & præcipuè in honorem Ejus vergant,

*Cui ſoli ſit Laus & Gloria ſempiterna.*

PLEU-

PLEURITIS *paſſim ſoleat quæ ferre pericla*
*Corporibus noſtris*, HILCHIUS *arte probat*,
*Et docet his theſibus, quî ſat feliciter omnes*
*Convaleant, ejus queîs Medicina datur.*
*Reſtat ut exhauſto reddantur digna labore*
*Quæ DEUS eſſe velit fauſta! brabea Tibi.*

*Nobil. & Clariſſimo* DN. CANDIDATO, Fautori honorando, gratulabundus inter occupationes hæc adjecit

MAURICIUS HOFFMANN, Med. D. & Profeſſ. primar. Collegii Medici Altdorffini & Norici Senior.

---

ESt labor egregius, membranæ noſſe dolorem
Coſtis ſubcinctæ, tollere eumq; bene:
Hoc doctis Theſibus demonſtras. Gratulor ergò,
HILCHENI, & voveo, ut præmia digna Tuis
Dotibus ingenii, ſtudio & virtute capeſſas,
Morborum & victor ſis Medicusq; catus.

*Propenſam animi voluntatem ergà Nobiliſſ. CLmum* DN. CANDIDATUM, *Fautorem ſuum honorandum teſtaturus, deproperab.*

JACOBUS PANCRATIUS BRUNO, D. Prof. Publ.

---

HILCHENI, *ingenii Pleuritis monſtrat acumen,*
*Felicemq; Ægro, quâ medeare, manum.*
*Usq; Tuo bene ſit lateri, ſit parta dolore*
*Gloria devicto non peritura Tibi.*

Ita

*Nobiliſſ. & Clariſſimo* DN. CANDIDATO, Fautori ſvaviſſimo gratulabundus adplaud.

JOH. MAVRICIVS HOFFMANN. D. P. P. & Facult. Medic. h. t. Decanus.

*Ægro*

ÆGro dum *Lateri* medicamina ferre laboras,
Soſtra Tui Lateris Coſta futura feret.

*Quo ipſo Diſticho,*
*eo quidem ſinceriore, quo breviore,*
*Nobiliſſ. & Clariſſ.* DN CANDIDATO,
Syſſito chariſſimo,
*de felici Studiorum cataſtrophe*
*ex animo gratulatur,*
*inſimulq; Eidem,*
μυελομακαελομακροβιότητα
*tota mente apprecatur*

D. G. MOLLER, P. P.

*CVi teneræ roſeo Veneris conſperſa cruore*
*Arrident, nullâ folia tacta manu.*
*Ne timeat ſpinas, tantummodo pungere natas,*
*Harum nam recubant ſub ſtatione Roſæ.*
*Cuiq; placent Laudes, & Gloria neſcia mortis*
*Sertave cultori quæ Medicina legit.*
*Spiniferas curas & ſentibus abdita diris*
*Ne metuat rerum fortis adire loca.*
*Scilicet ut teneras roſa ſpernit lucida dextras*
*Sic molles animos reſpuit altus Honor.*
*Tu quoq; pungentes ſuperaſti ſæpe labores*
*Tardabantq; Tuos nulla rubeta pedes.*
*Vt caperes fructus & præmia digna laborum,*
*Præmia Pæſtanis fulgidiora Roſis.*
*Hinc cathedram lætus ſcandis, Livore querente,*
*Pleuritidis monſtrans frangere tela nigræ*
*Quidquè latus pungat, quæ tentent ſolvere coſtas*
*Quæ premat immitis viſcera ſpina doces.*
*Ingredere ergo Tuos, cape, quos ſpondemus Honores,*
*Et tenerum ſerto cinge micante Caput.*
*Melle madens creſcat, ſine ſpinis, fulgida Laurus,*
*Proq; rubis cingant Sorsq; Venusq; Latus.*

Hisce *Nobil & Digniſſimo* DN. DOCTORANDO, Fautori, Amico & Compranſori Suaviſſimo, ſupremam in Medicina Lauream gratulari, debitamq; amiciſſimi Animi Promptitudinem teſtari voluerunt

MOLLERIANI CONVICTORES.